



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Decimis. Consilium CCCCXLVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

sint regal. facitque, ut quæ per se impræscriptibilia sunt, præscribi possint: veluti regalia, aut Principi reservata; etiam præscriptio Ecclesiæ onerosa esset, Bald. in c. 1. In vers. quæro quanto tempore Qui feud. dare poss. Ceterum in proposito non obtinet vires aliquas: quia cum, ut ante dictum est, jus universale percipiendi decimas novalis per Actores non possit prætendi, dum consentitur, & ex dicto catalogo constat Pastori jus decimandi, & in non novalibus, & in novalibus aliquo modo esse; non potest dici hæc possessio, ex qua Actores jus præscriptionis immemorialis constituent. procedere ex generali seu universali causa percipiendi omnia tam futura, quam præsentia & præterita novalia: quia ex parte & jure Pastori reservatis, constat de contrario. Præterea immemorialis possessio, seu quasi, non dico perceptorum novalium in his, aut illis agris; sed juris universalis percipiendi novalia, etiam quodcumque futura, quam Actores allegant, secundum terminos, & dispositionem juris communis sufficienter probata non est. Nam certificatio Villici, & Scabinorum de Volkeghem, continet testimonia minimè jurata; quæ ob id fidem probationis non possunt continere, l. Jurisurandi C. De testib. etiam à religiosissimis personis essent prolata, c. Nuper De testibus. Eoque minus in proposito, quod plerique sint Officarii unius ex dictis Actoribus; & quidam illorum etiam decimarum ad dictos Actores pertinentium conductores; sic ut ad eos ex eorum testimonio in exitu causæ commodum vel incommodum pervenire posset, Gloss. in §. pater Instit. De testam. Alberic. in l. Etiam C. De testib. Eoque iterum minus attribuenda est ipsis fides; quod non proferant aliquod exemplum agrorum novalium ultra quadraginta annos ad culturam redactorum. Quæ eadem exceptiones etiam aliis testibus per Notarium examinatis ad instantiam Actorum, obijci possunt; quod scilicet injurati deposuerint, & præterea recepti & examinati sint non per iudicem causæ, nec parte adversa ad hoc citatæ: qui citationis defectus facit, ut testimonium pro nullo omnino sit, c. 2. De testib. Et denique quod nullam agrorum novalium specificationem faciant; præter unum, qui unius certi agri ad culturam redacti mentionem facit, sed ita, ut hujusmodi testimonium Actoribus magis noceat, quam prosit: ob id, quod proponatur illum agrum ab hinc triginta duobus annis primùm ad culturam redactum fuisse; unde immemorialis, & nè quidem communis & vulgaris præscriptio Ecclesiastica, hoc est quadraginta annorum, d. c. Ad aures c. Dudum De decim. constitui non potest. Cum alioqui ad probandam immemoriam possessionem seu præscriptionem plura requirantur (quæ in hoc articulo præscriptionis decimarum exactè recenset Petrus Rebuffus, in tract. de decim. quasi. 13. nu. 94. & seq. ad quem brevitas causa remittimus) quæ in dictis testimoniis non conspiciuntur. Cum ergo per dictum catalogum, & confessionem partis adversæ constet, Pastorem loci esse, & fuisse in possessione novalium decimarum, non constet verò Actores esse in possessione decimarum novalia ex eorum jure universali percipiendi decimas in genere; censemus in hac possessoria causa secundum Conf. Wamef. Tom. II.

Reum Opponentem, contra dictos Actores, sententiam ferendam esse.

De Decimis.

S V M M A R I V M.

Decimæ novalis.

1. Decimas qui ex privilegio habet, non habet ex consequenti novalia.
2. Præscriptio ultra possessum non extenditur.
3. Novalis ad decimas quandoque extenditur privilegium & præscriptio.
4. Transactio extendi, & præsertim ad futura, non debet.
5. Relativum vim restrictionis habet.
6. Novalium privilegio concessio, quæ novalia continentur.
7. Decima ab Ecclesiasticis præscriptione quadraginta annorum acquiritur.
8. Supradicta particula quæ referri debeat.
9. Casus omissus manet sub dispositione iuris communis.

CONSILIUM CCCCXLVII.

QUANTUM ex lectione Actorum, coram Venerabili Domino Officiali Leodiensi Lovanii residente, inter Dominum Gerardum Vlemincx, Pastorem in Ginneken Actorem; & Reverendam Dominam Abbatissam & Conventum de Thore Ream deprehendere potui, circa unicam questionem versatur totius causæ difficultas: quid scilicet per concordiam olim ante annos plusquam ducentos, & sexaginta, inter Curatum loci de Ginneken & præfatam Abbatissam initam, de jure decimarum, præfatus Curatus remiserit; earum scilicet terrarum, quæ tunc ad culturam redactæ erant, decimas tantum, an etiam terrarum novalium? Et sanè ab ipsius concordie verbis hujus rei petenda est definitio.

Nam alioqui si de novalibus nihil dictum esset in illius concordie instrumento, res dubitationem nullam haberet: si enim ex privilegio si ve ex præscriptione quis decimas habeat in aliquo fundo, cui alioqui jure communi non deberentur; decimas tamen novalium in illarum consequentiam non habebit, sed Curato seu Pastori loci relinquenda erunt; quia jure communi ad illum etiam ipsæ decimæ antiquæ pertinere deberent; prout hoc jure expresso decisum est, in c. Cum contingat, c. Tua, c. Ex parte De decim. cap. Statuto eod. lib. 6. Sunt enim hujusmodi privilegia tamquam juri communi adversantia, odiosa & intra suos fines contrahenda, d. c. Tua, c. Odis De regul. iur. lib. 6. * Et præscriptio quia ex possessione vires & substantiam capit, ultra id quod possessum est longissimo tempore, extendi non debet: sic ut quamvis jus decimandi acquisitum sit respectu prædiorum tanto tempore, quod ad præscriptionem requiritur, possessorum: respectu tamen prædiorum non possessorum præscriptio consideranda non sit: tantum enim censetur præscriptum, quantum constat esse possessum, l. 1. §. si quis hoc interdicto De itin. actus. priv. l. Denique cum l. seq. Ex quib. caus. maior. cum præscriptio extensionem non admittat, ne quidem ad similem casum, Felin. in cap. Auditis col. 6. De præscript. & facit text. l. Quod

F f 4 mea

neo §. fin. & ibi Doct. De acquir. poss. Bart. in l. Publicanus §. fin. De publican. d. c. Statuto in fine, Soem. consil. III. Abunde vol. 1.

Ita ut prorsus supervacua sit partis reæ allegatio, & operosa probatio possessionis immemorabilis perceptarum omnium decimarum, etiam novarium. Nam quatenus ea possessio respicit agros, citra illud tempus, quod ad prescriptionem non potest esse sufficiens, ad culturam redactos, quorum decimæ tantum petuntur ab Actore; nihil operari potest: præsertim ubi nulla subest rationabilis causa, cur propter privilegium concessarum decimarum, aut propter earundem prescriptionem in genere, non tam certorum corporum decimæ, quam jus decimandi generaliter & universaliter videri debeat acquisitum, d. c. Statuto §. fin. & d. c. Cum contingat in fine. Cum ergo in actis non extet allegata rationabilis aliqua causa (præter eam, quæ fortè in dicto instrumento contineri posset, de qua postea dicemus) non est quod extendenda prescriptionis occasionem admittamus.

Et cum inter causas rationabiles, ob quas fieri quandoque solet extensio privilegii, vel prescriptionis, Doctores passim ponant, si privilegiatus aut prescribens in universum possideat omnia prædia decimabilia, quæ sub parochia sunt; ita quod Pastor Ecclesiæ sub eadem sua parochia nullas omnino possideat decimas, neque majores, neque minores: quasi hoc casu propter jus universi prescribenti seu privilegiato acquisitum, competant jure congrui seu accessionis omnia, quæ de novo accedunt vel creantur; ratione scilicet juris comprehensi sub illo universo, Ant. de Butrio & alii in d. c. Tua, Panor. consil. 71. vol. 2. vel si privilegiatus aut prescribens consueverat prius ex novarum prædiis aliquid percipere, quia erant vel pascua, vel terræ alios fructus præter frumentum ferentes, Ant. de Butrio, Card. & alii in d. c. Cum contingat: certè ubi talis ratio non subest, vel ubi alia est decimarum vel terrarum conditio, cessare meritò debet privilegii seu prescriptionis extensio. Cum ergo ex actis propriaque partis Reæ allegatione constet, Pastorem semper habuisse minutas decimas loci de Ginneken; item majores tam novales, quam antiquas certorum manforum & locorum; sequitur in præsentī lite nullam habendam esse rationem juris universi; quia Pastor est & fuit in possessione alicujus particularis, Panor. d. consil. 71. Rursus quia (ut ex depositionibus testium utriusque partis constat) loca redacta ad culturam prius nullum fructum ferebant; quia fuerunt steriles & arida merica: sequitur ex ratione prædicta, de uno ad aliud non posse fieri prescriptionis extensionem: * præsertim in hoc casu, ubi non ex privilegio (quod non allegatur) competit Reis jus decimarum; sed ex transactione: quæ cum stricti juris sit, extendi ad futura & supervenientia non debet, l. Qui cum tutoribus §. fin. & ibi Bartol. de transact.

* Videamus ergo an verba concordia hoc inducant, quod nec prescriptio, nec privilegium sic simpliciter dare, ut diximus, potuerunt. In instrumento dictæ concordia recensetur quidem, quod cuique ex decimis debebitur, sed obscuris; ita ut non satis constet de decimis tunc exi-

stentibus; an etiam de futuris conventum sit. Quæ quidem obscuritas in primis si aliunde interpretationem accipere non posset, secundum Actorem facienda esset, quod jure communi alii non debeantur decimæ novales, quam Pastori; ut supra dictum est, si ex adverso non probetur de jure singulari, quo alii debeantur, d. c. Tua, d. c. Cum contingat De decimis. Cæterum cum sic obscurè non sint concepta verba, quin de voluntate contrahentium seu transigentium satis constet, id omnino sequendum est, de quo constat. * Vnde quia tantum dictum est, ut Abbatissa habeat, & in posterum percipiat, decimas novales & antiquas, quas habuit & possedit; sit ut virtute restrictionis, quæ relativo inest, l. 1. c. de sum. Trinit. & fide Cathol. l. Ea tamen adiectio De legat. 3. & utriusque Bart. ad decimas, quas non possederat & habuerat, non possit extendi dicta concordia; & per consequens nec confirmatio Pontificis accedens.

Nam quamvis novalia propriè dicantur non præteritorum, sed futurorum, c. Quid per novale & ibi Ioan. Andr. & alii De verb. signif. sic ut privilegio novarium concessio, nedum comprehendantur novalia, quæ sunt tempore dati privilegii ab aliis non possessa; sed etiam futura, d. c. Statuto in princ. & ibi Phil. Francus: quando tamen ex verbis de evidenti contrahentium voluntate constat, non de futuris, sed præsentibus aut præteritis novaribus agi, ut est in proposito, propter dictam restrictionem, quas nunc possidemus & habemus; de verbi proprietate disputandum non est: cum generaliter ab ea recedatur, quoties verborum proprietas repugnat, & voluntas non potest declarari secundum verborum proprietatem seu legis dispositionem, nisi per improprietatem, c. Raynuitus, c. Raynaldus De testam. notant Doct. in l. Gallus §. 1. De liber. & possib. Et ideo in dicto concordia instrumento per novales decimas intelligimus, non quæ tunc futuræ erant, sed quæ præsentibus erant & præteritis: hæc enim tunc solæ habebantur & possidebantur ac haberi & possideri eo momento poterant, non futuræ, l. Nec ullam De pet. hered. l. Eius in fine Si cert. petat. Quæ interpretatio summam rationem & æquitatem habet. Cum enim in eo instrumento pro modo & quantitate parochia & parochianorum, nec non agrorum ac terrarum decimarum, Pastori fuerit assignata certa aliqua portio eorundem, agrorum, numero evidenter crescente, auctisque sic decimis æquum erat Pastori amplius succurri; hic præsertim, ubi auctis parochianis ipsius parochia facta est divisio & dismembratio; ut quædam æqualis portio decimarum, & congruæ portionis servaretur inter Abbatissam & Pastorem pro modo decimarum. Quod quidem quia dictum non est, dicendum erit Pastori adiciendas esse novales decimas, cui respectu futurorum novarum in dicto instrumento nihil adjectum fuit. Et hæc quidem horum verborum dilucida interpretatio sola sufficit ad hujus causæ decisionem quoad novales decimas futuras, & quæ intra quadragesimum annum ante institutam hanc litem fuerunt. * Tanto enim tempore ad minus opus est Religiosis, qui in aliena parochia decimas prescriptione acquirere volunt, c. Ad

c. Ad aures De prescript. & ibi Doct. c. Dudam & d. c. Cum contingat De decimis, & nor. in d. c. Quid per novale.

8 Neque huic interpretationi adversabitur, quod in eodem concordie instrumento Pastori non videantur reservari nisi decimæ, quarum superius facta erat mentio, in his verbis: alijs decimis, oblationibus, & bonis supradictis nobis Investito & successoribus reservatis: nam particula, supradictis, ad verbum bonis, quod illi proximum est, referendum tantum est, & minimè ad dictionem decimis, quia illa habet suam determinationem; neque nisi per absurditatem ad hanc restrictivam particulam trahi potest, Panorm. in c. Secundo requiris, De appellat. Dicitur enim, alijs &, implicandi & similitudinem inducendi vim ac potestatem habet, Bald. in l. Conventicula vers. Item est, arg. à nat. alternat. c. De Episc. & cler. Cardin. in Clem. 2. in princ. De reb. Eccles. non alienam. Si ergo id tantum referendum esset ad decimas minutas & majores aliquot locorum, quarum in supradictis ex parte Pastoris tantum facta erat mentio, non servaretur hujus dictionis vis & proprietates, ideoque facienda est interpretatio, ut posteriora prioribus respondeant: & sic quod in parte narrativa dictum fuit, cum oblationibus & bonis alijs, in dispositiva parte repetitum, de oblationibus & bonis supradictis, accipi debet de supradictis alijs bonis, & minimè de decimis.

Sed ne scrupulosius verba aucupemur, esto quod dictio, supradictis, referatur etiam ad verbum decimis, restringendo concordiam in ea particula ad solas decimas minutas, & majores aliquot locorum ibidem specificatorum, num ideo amplior & melior erit conditio Domine Abbatis? num qua virtute illius clausula Pastori adici, & acquiri non possunt decimæ, novales futuræ Abbatis? adiciuntur? minimè certè. Nam quia novales futuræ non continentur in parte concordie, quæ Abbatis? respicit, uti superius deduximus propter illa verba, habuimus & possedimus, cum adverteretur jus commune, ei adici non poterunt. Pastori autem etsi non adiciantur eadem novales decimæ, virtute dictæ dispositivæ clausulæ, adiciuntur tamen ex dispositione juris communis; secundum jura 9 supra allegata. * Ita ut si neque in ea, quæ Abbatis? respicit (quod certum est) neque in ea, quæ Pastorem respicit, concordie parte continentur decimæ novales futuræ; omisso habendus: qui ideo secundum regulas juris communis regulari debet, l. Si extraneus De condict. causa data, l. Si cum dote in princ. Solutio matrim. Alex. consil. 29. Ponderatis verbis vol. 6. c. Suscepimus De rescript. lib. 6. De jure autem communi diximus, non obstante prescriptione, novalia deberi vero Pastori. Atque ita ex sola dictarum clausularum vera, & genuina, uti putamus, interpretatione, & jure communi, quod circa jus novalium versatur, omillis alijs omnibus, quæ tamen intentioni Actoris non parum suffragantur; & præcipue re aliquando judicata inter Abbatis? & Curatum de Ginneken: concludendo dicimus, secundum Actoris conclusionem & probationem esse judicandum.

De Decimis.

S V M M A R I V M.

Decimæ novales.

1. Novales decimæ quando decimarum appellatione continentur.
2. Decimæ censentur exceptæ in quacumq; rei alienatione.
3. Decimas debent fundi omnes, etiam qui Regum & Principum sunt.
4. Novi appellatio quem respectum habeat.
5. Novales decimæ si quando conceduntur futura dumtaxat, concessæ intelliguntur.

CONSILIVM CCCCXLVIII.

Cum clara & liquida sit sententia, in hoc Amplissimo Concilio lata, ad supplicem libellum Dominorum Decani & Capituli collegiatæ Ecclesiæ S. Servatii Trajectensis, quæ supplicantibus permittitur recuperare medietatem decimarum de Weerdt, quas Domina Anna de Egmond novissimè in conducto habuit; eo fine, ut illa pro arbitrio suo uti frui possint; addito mandato, seu præcepto, quo Receptor confiscatorum bonorum in Weerdt præcipitur, ut id patiat, amplius in controversiam trahi nequit; nec eo pretextu differri executio ejusdem sententiæ, quod in instrumento prædictæ conductionis, partis indeterminatæ, non etiam quoræ fiat mentio. Etenim ex instrumento arbitralis sententiæ in anno 1306. lata inter D. Comitæ Jacobū de Horn & prædictum Capitulum, apertè deprehenditur expressa mentio medietatis, quæ etiam agnoscunt ii, quorū avizamentum in hac causa petiti est: videl. Receptor de Weerdt Fiscalis, & Auditor Geldrig. Cum alioqui in dubio ex juris ratione ea interpretatio assumi debeat, l. Nomen filiarum §. portionis De verb. signif. Sed discussa hac difficultate, aliam injectit responsum, seu avizamentum dicti Receptoris, & aliorum, quorum supra mentio facta est; an scilicet hæc medietas porrigi debeat perinde ad novalia, ut ad antiquas decimas; quæ novalia suggeruntur à tempore arbitralis sententiæ mirum in modum aucta esse. Quam difficultatem quoque resolvit. & discutit dictæ arbitralis sententiæ tenor, his verbis conceptus: Pronunciamus & ordinamus seu amicablem componendo decimas, quod decimas superius Villa de VVerth antiquas & novales, magnas & minutas pro media parte ex nunc in antea dicti Decani & Capitulum libere colligent & levabunt &c. Cum alioqui juris ratio eam interpretationem quoque postulet, tunc cum mentio novalium in concessione prætermittitur, c. Ex parte 3. De decimis, c. 2. eod. tit. lib. 6. & ibi Doct. Et licet in constituenda prescriptione, decimarum appellatio restringatur ad antiquas, nec porrigatur ad novales, c. Cum contingat De decimis: in privilegio tamen, non tantum quod est ex concessione Papali; sed etiam ex consuetudine seu immemoriali tempore (quale censeri debet, quo nititur dictum Capitulum, quod originem dictæ sententiæ arbitrali anni 1306. vetustiore habet) decimarum appellatio etiam novales complectitur, Gloss. & Panorm. in d. c. Cum contingat; quia jus tanti temporis usum pro privilegiata concessione accipit, l. Hoc iure §. ductus aqua De aqua quodid. & asiva. Eaque in parte diminutius, non minus, aut cum majore prærogativa censeri debet.